

www.e-rara.ch

**Benedicti Ivstiniani Genuensis Societatis Iesv In omnes B. Pavli Apost.
Epistolas Explanationum**

Giustiniani, Benedetto

Lvgdvni, M.D. CXIII

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-118152>

[Dedicatio.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



SCIPIONI BURGHESIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.

MAIORI POENITENTIARIO,

ET SEDIS APOSTOLICÆ

BIBLIOTHECARIO, &c.

BENEDICTVS IVSTINIANVS FOELICITATEM.



VÆ Paulus Apostolus, vas electionis, & gentium doctor olim, duce & auctore Deo, scripsit in terris, digna profectò sunt, vt egregiè monuit Chrysostomus, quæ fidelium animis inscribantur; præcipuè verò terantur, mentèque assidue voluantur ab iis, qui in proprio perpoliando ornandoque animo, vel alienis iuuantis, atque ad Deum traducendis studium & operam ponunt. Id scilicet causæ fuit, Illustrissime Princeps, vt cum ante multos annos Theologicis quæstionibus explicandis studiosi adolescentes erudiendi, & Ecclesiasticis concionibus populus mihi esset ad pietatis Christianæque virtutis studium inflammandus, Apostoli potissimum scripta peruoluerem, diligentérque rimarer, quicquid vel ad cognitionem animi præclarum, vel ad mores informandos aptum atque opportunum videretur; feci id non libenter solum, sed magna etiam cum animi mei voluptate. Verùm cum multa deprehenderem siue genere dicendi, atque orationis caractere obscura; siue etiam per se satis implicita & inuoluta; plurima denique quæ humanæ mentis imbecillitatem, ac tenuitatem effugerent, veteres explanatores mihi sedulò consulendos esse existimaui: quorum ductu, atque auspiciis in augustissimum diuinorum mysteriorum Sacramentum admitterer; ita me optima quæque sequutum esse profiteor; an etiam assequutus sim, equidem non ausim affirmare. Quæ igitur mihi in priua-

tos usus collegeram, cum nihil minus cogitarem, aliorum partim precibus adductus, partim auctoritate impulsus, in lucem prodire passus sum. Cumque priorem lucubrationum mearum Tomum anno superiori PAVLI V. maximi optimique Pontificis, & auunculi tui nomini inscripserim; faciendum mihi existimaui, ut hic posterior nominis tui splendore illustratus, & amplitudinis tue auctoritate suffultus, sese in aspectum daret. Ita enim fore videbam ut quæ ad vnius Apostoli Pauli explanationem edita essent, vnius BVRGHESIAE gentis claritudine ornata, tantum posse apud omnes consequi dignitatis, quantum illa per se, & Pontificia thiara, & sacra purpura obtinet maiestatis. Neque mihi verendum erat ne in ista negotiorum mole, cui vix mortalium quisquam par esse queat, hoc exiguum obseruantiae in te meae argumentum aspernare, qui tuam incredibilem in omne genus hominum facilitatem iam inde ab initio tui principatus multorum testificatione cognouerim, & ab aliquot iam annis in ipso sacrae Poenitentiariae Prætorio re ipsa expertus sim. Etenim cum primum Maioris Poenitentiarii dignitatem adeptus es, tibi que pro muneris mei ratione qualemcumque operam impendere coepi, non mediocriter dubitare coactus sum utrum Cardinalatus fulgor, Auinionensis Legatio, sacrae Bibliothecæ & Apostolicæ consultationis Præfectura, Maioris denique Poenitentiarii munus plus tibi tribuant honoris, an egregia tua vis ingenij, prudentia, moderatio, reliquæque virtutes, quæ omnium tibi beneuolentiam mirabiliter conciliant, his omnibus magistratibus plus afferant ornamenti. Itaque verè tibi possum, Illustrissime Princeps, affirmare non me tantopere suspicere tuæ, ut vulgus loquitur, fortunæ amplitudinem, seu tuorum honorum titulos, quàm eximia animi tui bona, quæ tibi diuinitus concessa & Deo in primis carum, & cunctis mortalibus citra inuidiam, & supra modum amabilem reddunt. Prædicabunt alij generis splendorem, maiorum gloriam, ingenij præstantiam, bonarum artium studia, cæteraque eiusmodi, quæ vulgò numerantur in bonis: Ego pietatem tuam magnifacio; beneficentiam admiror; caritatem suspicio; quæ omnia mirabiliter elucent siue dum Ecclesiasticis censuris implicitos soluis; siue scelerum maculas diuina potestate abluis; siue malè parta, quantum fas est, aut liberaliter condonas, aut indigentium piorumque locorum inopiæ subleuandæ attribuis; illa denique omnia præstas, quæ Poenitentiariæ Apostolicæ ratio postulat. Huc accedit quòd religionem atque ordinem nostrum tam benignè humanitèrque complecteris, eiusque parentem, atque auctorem Ignatium tam pio studio colis, ut tua præclara in nos omnes officia cum auunculi tui in nos munificentia, & liberalitate certare videantur. Quocirca hoc quicquid est siue laboris, siue conatus mei (quod sentio quàm sit exiguum) ut à nostra Societate profectum,

profectum, tibi vni communi propè iure debetur, vt beneuolentiæ in nos tuæ aliquod exstet publicum testimonium. Nam si mei priuatim habenda ratio sit, quantus quantus ego sum, quicquid possum, aut valeo, id tibi iure tuo vindicare potes: quia me qualemunque Poenitentiariæ Theologum tibi Maiori Poenitentiario Pontificiæ leges penitus addicunt, subiiciuntque. Habes igitur, Princeps Illustrissime, vndecim posteriores Pauli Epistolas paraphrasi & vberiore explanatione auctas, nec enim ausim dicere illustratas; quas, si celsitudini tuæ probari intelligam, amplissimum me operæ pretium tulisse existimabo.

